

1183 viginti, domum reversus pro reparandis sumptibus,
 disponentem redire febris invasit gravissima
 necnon et morbus fistulae in collo, quo flagello
 foris tactus, sicut et intus visitatus a Domino
 illico mutatus est in alterum virum, et vota
 eius facta sunt alia, atque despecto mundo,
 despectis mundanis studiis devotavit se ad
 partem monasterii. Quod devoto conceptum
 affectu, taliter pervenit ad effectum. Supervenit
 nuntius Dei desideratus hospes, prepositus Stein-
 weldensis nomine Everwinus, vir consummate
 religionis, habens secum quendam canonicum
 suum Henricum nomine, litteratum virum
 medicumque peritum, qui postea sub eodem,
 de quo loquimur, abbate (Goscalco) Lünövitcen-
 sis ecclesie fundator exhibitus est. Hi ergo
 tunc illo adventantes petitionem iuvenis gratanter
 admiservunt et susceptionem eius ei compromi-
 serunt. Verum quia erant in prociuctu itineris
 tendentes Premonstratum et ille post tantam
 egritudinem satis adhuc debilis, volebat eum
 prepositus domi dimittere, donec rediret, sed domino
 Henrico aliter visum est dixitque ad preposi-
 tum: Cum constet cor adolescentis esse tanquam

illco P

Lünövitensis